# DE FORMVLIS COLLOQVIORVM QVOTIDIANORVM *LIBELLVS,*

In quo ferme omnium quæ in manibus puerorum quotidie verſantur, nomenclaturæ comprehenduntur.

*Æ*SOPI *F*ABVLÆ SELECTAE.

*E*PISTOLÆ BREVES *P*HALARIDIS *& aliorum.*

*L*VCIANI *D*IALOGI ALIQVOT.



HEIDELBERGÆ,
cIɔ. Iɔ. LXXXIIX.

# COLLOQVIVM SCHOLASTICVM.

ANTE lucem expergefactus ſum de ſomno, ſurrexi è lecto, ſedi, accepi ſocculos, ſandalia calceaui.

Popoſci aquam coram: lauo primò manus, deinde faciem. Laui. exterſi, depoſui mitram.

Accepi tunicam ad corpus. præcinxi me. vnxi caput meum, & pexui, circundedi collum palla. Indui me indumento albo. ſupra induo penulam. proceſſi de cubiculo cum pædagogo, & cum nutrice, ad ſalutandum patrem & matrem. vtrunque ſalutaui, & deoſculatus ſum, & ſic deſcendi de domo.

Proficiſcor ad ſcholam. Introiui. dixi, Salue præceptor, & ipſe me deoſculatus eſt, & reſalutauit. Tradit mihi puer meus tabellas, thecam, ſtilum. Educo graphiola. Meo loco ſedens complano, deſcribo ad exemplar. vt ſcripſi autem, oſtendo magiſtro. emendauit. induxit.

Iubet me legere. iuſſus alij dedi. ediſcebam interpretamenta. reddidi.

Sed ſtatim dicta mihi. dictauit mihi. condiſcipulus. imo tu, inquit. dixi ei, redde primum. & dixit mihi, non vidiſti cùm redderem priùs

 tea

te?& dixi,mentiris,non reddidisti.non mentior. si vera dicis, reddo.

Inter hæc, iubente præceptore, surgunt pusilli ad eleměta,& syllabas. dinumerauit eis vnus ex maioribus. alij ad subdoctorem ordine reddunt.nomina scribunt.versus scripserunt.& ego in primo ordine certamen suscepi.

Deinde vbi sedimus pertranseo commentaria,linguas,artem. vocatus ad lectionem, audio expositionem,sensus,personas.

Interrogatus artem,respondi, ad quem dicis? quæ pars orationis? declinaui genera nominum. mensus sum versum.

Vt autem hæc egimus,dimisit ad prãdium. dimissus verò, redeo domũ. muto. accipio panem candidum, oleas, caseum, caricas, nuces. bibo aquam frigidam.

Pransus reuertor iterum ad scholam. inuenio magistrum prælegentem. & dixit, Incipite ab initio.

## ALIVD COLLOQVIVM.

Poposci aquam coràm. lauo primò manus, deinde faciem. laui. extersi, deposui albam penulam, processi de cubiculo cum pædagogo ad salutandum patrem & matrem.ambos salutaui, & deosculatus sum,& sic descendi de domo.

Eo salutatum omnes amicos,& dominus præcedens obuiauit amico suo, & dixit, Vales Cai? & tenuit eum & resalutauit eum, dicens, Est te

vi-

videre? quid agis? omnia rectè? quomodo habes? gratulor tibi ſicut mihi.

Iudicium ad quem? ad quęſtorem? non ibi. ſed vbi? ad proconſulem? nec ibi, ſed ad magiſtratus ex ſubſcriptione præſidis prouinciæ. Quale autem eſt ipſum negocium? non valde magnum. eſt enim pecuniarum, vt totum ſcias. Si vacat tibi, adeſto nobis. Iudices enim diem nobis dederūnt hodiernum. Sententia dicta, quare volo te præſente de cauſa cum aduocatis tractare. Adhibuiſti? adhibui. quoſnam? tuos amicos. bene feciſti. conſtituiſti? circa quam horam? In quo loco? in foro, in porticu, iuxta porticum Victoriæ. Paulo poſt illuc venio. ſed rogo, in mēte habeas. Securus eſto. mihi curæ erit.

Eamus nos ad nummularium, capiamus ab eo denarios centum, demus cauſidico honorario, & aduocatis, & iuriſperito, vt ſtudioſius defendant nos. iſte eſt. Accipe ab eo nummos & ſequere, ſicut conſtituimus.

Adeſt Caius, conuocemus ipſum ad conſiliū. hîc habemus inſtrumenta. denunciaſti ei? denūciaui. teſtatus es? teſtatus ſum. Paratus eſto. paratus ſum. & aduerſarius interpellare vult, tace. taceo. ſilentium habete, audiamus ſententiam. audìuiſti quòd vicimus?

Cai domine, quid imperas? nunquid habes pecunias opportunas? quid opus habes mutuari? Si habes, commoda mihi quinque denarios. Etſi non habuiſſem, vndecūque expleuiſſem. pignus vis? abſit. caue mihi te accepiſſe. quibus vſuris?

quibus vis. caui. gratias tibi ago. ſigna. ſignaui, numero. proba. probaui.ſicut accepiſti probum redde .Id tibi reddidero & ſatisfaciam.

## ALIVD COLLOQVIVM.

Fauſtus dies. Veniſti?veni.accepiſti?dediſti ei? dedi. Nunquid aliquid opus habes? te valere. ſi vis, veni mecum. quo? ad amicum noſtrum Lucium. viſitemus eum . quid enim habet? ægrotat.ex quo? à paucis diebus incidit.vbi manet?nō longe.ambula. hæc eſt arbitror domus. hæc eſt. Ecce ianitor. Interroga eum an poſſimus ingredi & videre dominum eius.& ille dixit, quē quæritis? dominum tuum, pro ſanitate ipſius aduenimus.aſcendite.quot ſcalas?duas.ad dextrā pulſate, ſi tamen venit.proceſſerat enim. pulſemus. vide quis ſit. ſaluete omnes. dominum tuum volumus viſitare. vigilat ? nuncia mihi & ille dixit, non eſt hic. quid loqueris? ſed vbi eſt? illuc deſcendit ad lauretum deambulaturus. gratulamur ei.cùm venerit,dicito illi, nos ad ipſum gratulantes aduenisſe pro ſalute eius, quòd omnia rectè habent.Ita faciam.

## ALIVD COLLOQVIVM.

Tu quo vadis? in domum feſtino. quare inquiſiſti?ſi tibi gratum eſt,hodie apud me prande frugaliter. vino bono domeſtico vtemur.ita fiat. ad horam itaque veni ad nos.quando vis, mitte ad nos. in domo ſum.ſic fiat nobis.

Tu puer ſequere me ad macellum. quid emamus

mus ad prandium? interroga quanti pifces. denariorum decem.

Tu puer perge domum, vt poſſimus ire ad olitorium, & emere olera, quæ neceſſaria ſunt, & poma, mora, ficus, mala perſica, pira, tubera. Ecce habes omnia quæ emimus, vade domum.

Vocet aliquis coquum. vbi eſt? ſurſum aſcendit. & quid vult? deſcendat huc. tolle, coque diligẽter pulmenta. conditura bona fiat. affer clauem & lucernas, liquamen primum & ſecundum, acetum acre, muſtum, vinum album & nigrum, vetuſtum, ligna ſicca, carbones, prunam, ſecurim, vaſa, patinam, ollam, lebetem, craticulam, operculum, mortarium. Tu verò puer vade ad Caium & dic ei, Veni inde, lauemus, vade, curre, velociter, fac.

Fuiſti apud eum? fui. vbi erat: in domo ſedebat. Et quid faciebat? ſtudebat. & quid dixit? expecta me venientem, & ſequor.

Vade rurſus, & dic ei, omnes hîc ſunt. cum eo veni. Vos interim componite diligenter vitrea vaſa, & ærea, & aquam proiicite foras. vellem videre quemadmodum iuuenes. iam ſtraui. omnia parata ſunt. nequedum venit. vade dic ei, ſero nos facis prandere ecce venit, occurre ei. Roga ipſum, Quid foris ſtas?

ALIVD COLLOQVIVM.

Afferte ſabana ad balneum, ſtrigilem, facialẽ, pedalem, ampullam. Procedite, capite locum. vbi iubes? in publico, an in priuato? vbi iubetis? quando abimus, narrabo tibi.

## ALIVD COLLOQVIVM.

Surge, eamus. Nunquid vis venire ad ſeceſſum? Bene me admonuiſti. venter me ſtimulat. eamus.

## ALIVD COLLOQVIVM.

Iam exue me.calcea me.compone induměta. cooperi.ſerua bene.ne dormita propter fures.

Rape nobis pilam,exerceri volo in ceromate.

Veni, luctemur per tempus, vno momento. neſcio,neque poſſum.iamdudum enim deſij luctari. tamen tentabo an poſſim. Leuiter fatigatus ſum.vnge. vnxi. vngam me.frica. ſudas? ſudo. deficio.deſcende.exi iam.

Mitte te ipſum in piſcinam ſubdialem. nata. nataui.

Perfunde teipſum. perfudi. reſumpſi. porrige ſtrigilem. abſterge me. terge mihi caput & pedes.da caligas.calcea me.adiice amiculum. bene lauiſti. bene tibi ſit.

## ALIVD COLLOQVIVM.

Date huc ſedes,ſellas,ſcamnũ, biſellium, ceruical.ſede. ſedeo. quid ſtas? laua calicě aqua calida.miſce.valde enim ſitio. miſce omnibus. quis, quid vult? vel conditum, vel carenum, ipſum illi miſce.

Tu quid vis?laua calicem.miſce mihi calidum, non feruens, neque tepidum, ſed temperatum. mitte recens,adiice merum.

Quid ſtatis?ſedete,ſi vultis diſcumbamus. vbi iubes. in primo loco diſcumbe. Da mihi guſtare maluas feruentes.porrige mihi mappam.afferte,

vide

vide num habeas piperatum.intinge.vtor. vtere. Da ficatum tenerum,turdos,glandulas,lactucas. vnus ex vobis panem frangat. frange frusta. cœnate. profectò ille dignus est apud nos cœnare. da salsum.sardinas, lobia, cyma cum liquamine, rapatum,gallinam assam,offas iuscellatas, copadia,porcellum assum.

Pone discum cum eduliis, radices, mentam, oliuas albas, & cascum recens aspersum,tubera, fungos. Ministrantibus date ad cœnandum, & coquo etiam bellaria,quia bene ministrauit.date aquam ad manus. Exterge mensam.

Recentem da phialam.da merum. misce calidum, plus, minus. libenter. spero enim alias te videre si permittas. propino tibi.bene. accipio à te libenter. vt quid non bibis? bibe domine. petiui,& nullus mihi dedit.

Da nobis dulcem placentam.sufficit nobis.

Eamus iam.accende faculam. sume. bene nos habuisti.

Puer veni, collige ista omnia. suis locis repone diligenter.

Sterne lectum. strauimus. & ob id ipsum durum est. excussimus, & puluillum molliuimus. Nimirum segniter quæ necessaria sunt, fecimus.

Nemo extra pernoctet aut exeat. Si cuius vocem audiero, non parcam.

Recipite vos.quiescite,& gallicinio me excitate,vt excurram.

FABV-

# FABVLAE ÆSOPI.

*Cochleæ.*

RVSTICI filius aſſabat cochleas. cùm autem audiret eas ſtridentes, ait, ô peſſimæ animantes, domibus veſtris incenſis, vos canitis?

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, omne intempeſtiuè factum, vituperabile.

*Hœdus & Lupus.*

HOedus ſuper domo quadam cùm ſtaret, viſo lupo prætereunte, conuitiabatur & mordebat ipſum; ſed lupus ait, Heus tu, non tu mihi, ſed locus conuitiatur.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, plerũque & locum & tempus præbere audaciam, aduerſus præſtantiores.

*Leo & Rana.*

LEo, audita aliquando rana valdè clamante, vertit ſe ad vocem, ratus magnum animal aliquod eſſe: parumper autem expectando, vt vidit è ſtagno egreſſam, accedens propiùs, eam conculcauit.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, non oportere, ante quàm videas, voce ſola perturbari.

*Cerua*

*Cerua & Leo.*

CErua venatores fugiens, in ſpeluncam ingreſſa eſt:in leonem autem ibi cùm incidiſſet,ab eo comprehenſa eſt.moriens autem dicebat,Hei mihi,quòd homines fugiēs, in ferarum immitiſſimam incidi.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat,multos hominum dum parua fugiunt pericula,in magna incurrere.

*Sus & Canis.*

SVs & Canis de fœcunditate certabant: dixit autem canis, ſe fœcundam eſſe maximè pedeſtrium omnium: & ſus occurrens, ad hæc inquit, ſed cùm hæc dicis,ſcito, & cæcos tuos te catulos parere.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, non in celeritate res, ſed in perfectione iudicari.

*Senex & Mors.*

SEnex olim inciſa à ſe ligna cùm ferret, multam ibat viam, ac ob multum laborem depoſito in loco quodam onere, mortem inuocabat: ſed mors cùm adeſſet, cauſamque peteret, propter quam ſe vocaret, perterrefactus ſenex ait, Vt meum onus attollas.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, omnem hominem eſſe vitæ ſtudioſum,licet infortunatus ſit & mendicus.

*Aſinus & Vulpes.*

ASinus indutus pelle leonis, vagabatur ad reliqua bruta perterrenda: cæterùm viſa vul-

vulpe, tentauit & hanc perterrefacere. hæc autem (casu enim ipsius vocem audiuerat) ad ipsum ait: sed benè scias, quòd & ego te timuissem, nisi rudentem audiuissem.

*Affabulatio.*

Fabula significat, nonnullos indoctos, qui iis, qui extra sunt, aliquid esse videntur, ex sua loquacitate redargui.

*Canis & Cocus.*

CAnis irrumpens in culinam, & coco occupato, corde arrepto fugit. at cocus conuersus, vt vidit ipsum fugiétem, ait, Heus tu, scito, vbi tu fueris me te obseruaturum: non enim mihi cor abstulisti, sed dedisti potiùs.

*Affabulatio.*

Fabula significat, sæpe mala hominibus documenta esse.

*Mulier & Gallina.*

MVlier quædam vidua gallinam habebat, singulis diebus ouum sibi parientem: rata verò, si plus hordei gallinæ proiiceret, bis parituram die, hoc fecit. sed gallina pinguefacta, ne semel quidem die parere potuit.

*Affabulatio.*

Fabula significat, eos, qui ob auaritiam plurium sunt appetentes, & ea, quæ adsunt, amittere.

*Gallina auripara.*

GAllinam quis habens, oua aurea pariétem, ratus intra ipsam auri massam inesse, occisam,

ſam, aliis gallinis ſimilem reperit. hic multum ſperans inuenire diuitiarum, & exiguis illis priuatus eſt.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, oportere contentum eſſe præſentibus, & fugere inexplebilitatem.

*Teſtudo & Aquila.*

TEſtudo orabat Aquilam, vt ſe volare doceret. ea autẽ admonente, procul hoc à natura ipſius eſſe, illa magis precibus inſtabat. accepit igitur ipſam vnguibus, & in altum ſuſtulit, inde demiſit. hęc autem in petras cecidit, & contrita eſt.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, multos, quia in contentionibus prudentiores non audiuerint, ſeipſos læſiſſe.

*Æthiops.*

AEthiopem quidam emit, talem ei colorem ineſſe ratus, negligentia eius, qui priùs habuit: ac aſſumpto in domum, omnes ei adhibuit abſterſiones, omnibus lauacris tentauit mundare: & colorem quidem tranſmutare non potuit, ſed morbum labor parauit.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, manere naturas, vt à principio prouenerunt.

*Gallina & Hirundo.*

GAllina ſerpentis ouis inuentis, diligenter calefacta excluſit. Hirundo autem cùm

eam

eam vidiſſet, ait, ô demens, quid hæc nutris, quæ cùm excreuerint, à te prima iniuriam auſpicabuntur?

*Aſſabulatio.*

Fabula ſignificat, implacabilem eſſe prauitatem, licet afficiatur maximis beneficiis.

*Coruus.*

COruus ægrotans, ait matri, Mater precare Deum, nec lamentare: ea verò ſuſcipiens, ait, Quis Deorum, ô fili, miſerebitur tui? cuius enim tu carnes non es furatus?

*Aſſabulatio.*

Fabula ſignificat, qui in vita multos inimicos habent, amicum in neceſſitate inuenturos neminem.

*Vulpes & Leo.*

VVlpes cùm nunquam vidiſſet leonem, cùm ei caſu quodam occurriſſet, primùm ſic timuit, vt fermè moreretur. deinde cùm ſecundò vidiſſet, timuit certè, non tamen vt priùs. tertiò autem cùm ipſum vidiſſet, ſic contra eum auſa eſt, vt & accederet, & colloqueretur.

*Aſſabulatio.*

Fabula ſignificat, conuerſatione terribilia quoque acceſſu facilia fieri.

*Cicada & Formicæ.*

HYemis tempore cùm triticum efferueret, formicæ refrigerabant. Cicada autem eſuriens petebat ab eis cibum: formicæ verò dixerunt ei, Cur æſtate non colligebas alimentum? hæc

hæc ait, Non eram ociosa, sed canebam musicè. tum hæ ridentes dixerunt, Si æstiuo tempore modulabaris, hyeme salta.

*Affabulatio.*

Fabula significat, non oportere quenquam aliqua in re esse negligentem, ne mœreat ac periclitetur.

### *Iupiter.*

IVpiter nuptias celebrans, omnia animalia accipiebat. Sola verò testudine tardè profecta, admirans causam tarditatis, rogauit eam, quamobrem ipsa ad cœnam non accesserit: cùm hæc dixisset, Domus chara, domus optima: iratus ipsi, damnauit, vt domum baiulans circumferret.

*Affabulatio.*

Fabula significat, plerosque hominum eligere, parcè potiùs apud se viuere, quàm apud alios lautè.

### *Equus & Asinus.*

HOmo quidam habebat equum & asinum, cùm autem iter facerent in via, ait asinus equo, Tolle à me oneris partem, si vis me esse saluum: illo non persuaso asinus cecidit, atque è labore mortuus est: ab hero autem omnibus impositis ei, & ipsa asini pelle, conquerens equus, clamabat: Hei mihi miserrimo, quid mihi obtigit afflicto? quia enim parum oneris nolui accipere, ecce omnia gesto, & ipsam pellem.

*Affabulatio.*

Fabula significat, si magni cum paruis iungantus, vtrosque seruari in vita.

*Fures & Gallus.*

FVres in domum quandam ingreſſi, nihil inuenerunt, niſi gallum: atque hoc capto, abierunt. hic ab eis occidendus rogabat, vt ſe dimitterent, dicens, vtilem ſe eſſe hominibus, noctu eos ad opera excitando. hi verò dixerunt, ſed propter hoc te tantò magis occidimus, illos enim excitando, furari nos non ſinis.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, ea maximè prauis eſſe aduerſa, quæ bonis ſunt beneficio.

*Viatores.*

DVo quidam vnà itinerabantur: & cùm alter ſecurim reperiſſet, alter, qui non inuenit, admonebat ipſum, ne diceret, Inueni, ſed Inuenimus. ſed paulò pòſt cùm aggrederentur ipſos, qui ſecurim perdiderant, habens ipſam, perſequentibus illis, ad eum, qui vnà itinerabatur, dicebat, periimus: hic autem ait, perij dic, non periimus: etenim & tunc, cùm ſecurim inueniſtj, inueni, dixiſti, non inuenimus.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, qui non fuerunt participes felicitatum, neque in calamitatibus firmos eſſe amicos.

*Adoleſcentuli & Cocus.*

DVo adoleſcétuli apud cocum aſſidebant: & coco in aliquo domeſtico opere occupato, alter horum, partem quandam carnium ſubreptam, in alterius demiſit ſinum. Conuerſo autem

tem coco, & carnem quærente, qui abstulerat, iurabat se non habere: qui autem habebat, non abstulisse. cocus verò, cognita malitia ipsorum, ait: Sed etsi me latueritis, peieratum Deum non latebitis.

*Affabulatio.*

Fabula significat, quòd licet homines peierantes lateamus, Deum tamen non latebimus.

*Agricola & filij ipsius.*

AGricola quidam vita excessurus, ac volens suos filios periculum facere de agricultura, vocatis ipsis ait, Filij mei, ego iam è vita discedo; vos autem si quæ in vinea à me occultata sunt, quæsieritis, inuenietis omnia. illi igitur rati thesaurum illic defossum esse; omnem vineæ terram post interitum patris defoderunt, ac thesaurum non inuenerunt, sed vinea pulchrè fossa, multiplicem fructum reddidit.

*Affabulatio.*

Fabula significat, laborem thesaurum esse hominibus.

*Herus & Canes.*

VIr quidam à tempestate in suo suburbio deprehensus, primùm oues comedit, hinc capras. Tempestate autem inualescente, & operarios boues iugulatos comedit. Canes verò his visis, dixerunt inter se: Sed fugiamus nos hinc, si enim operariis bobus herus noster non abstinet, quomodo nobis abstinebit?

*Affabulatio.*

Fabula significat, eos maximè fugere & cauere oportere, qui neque suis abstinent.

*Vulpes.*

VVlpes laqueo capta, cùm abscissa cauda euasisset, non viuendam præ pudore existimabat vitam. decreuit itaque & aliis vulpibus hoc idem persuadere, vt communi malo suum celaret dedecus. & iam omnibus collectis suadet caudas abscindere, quòd non indecens solùm hoc mēbrum sit, sed & superuacuum onus appensum. respondens autem ex ipsis quædam ait, Heus tu, nisi tibi hoc conduceret, nobis non consuleres.

*Affabulatio.*

Fabula significat, prauos homines non beneuolentia propinquis consulere, sed suo commodo.

*Mercurius & Statuarius.*

MErcurius scire volens quanti apud homines esset, iuit in statuarij domum, transformatus in hominem: & visa statua Iouis, rogabat quanti quis ipsam emere posset: hic autem cùm dixisset, drachma, risit: & Quāti Iunonis, ait? cùm dixisset pluris; visa & sui ipsius statua, ac opinatus, cùm nuncius sit deorum, & lucrosus, maximam de se apud homines haberi rationem, rogauit de se: statuarius verò ait, si hasce emeris, & hanc additamentum do.

*Affabu-*

*Affabulatio.*

Fabula in virum gloriosum, qui nullius apud alios est pretij.

*Lupus & Grus.*

LVpus gutturi osse infixo, mercedem grui præbiturum se dixit, si, capite iniecto, os ex gutture sibi extraxerit: hæc autem eo extracto, quippe quæ procero esset collo, mercedem efflagitabat. qui subridẽdo, dentesque exacuendo, Sufficiat tibi, ait, illa sola merces, quòd ex ore lupi & dentibus, saluum caput & illæsum exemeris.

*Affabulatio.*

Fabula in viros, qui à periculo seruati, benè de se meritis eam gratiam referunt.

*Piscator.*

PIscator in fluuio quodam piscabatur: extensis autem retibus, & fluxu comprehenso vtrinque, funi alligato lapide, aquam verberabat, vt pisces fugientes incautè in retia inciderent. Cùm quidam verò ex iis, qui circa locũ habitabant, id facientem viderat, increpabat, quòd fluuium turbaret, & claram aquam non sineret bibere: & is respondit, Sed nisi sic fluuius perturbetur, me oportebit esurientem mori.

*Affabulatio.*

Fabula significat, ciuitatum etiam Rectores tunc maximè operari, cùm patrias in seditionem induxerint.

*Lupus & Vetula.*

LVpus eſuriens circumibat quærēdo cibum: profectus autem ad locum quendam, audiuit lugentem puerulum, eique dicentem anum, Deſine plorare, ſin minùs, hac hora tradam te lupo. ratus igitur lupus ſeriò loqui aniculam, expectabat ad multam horam. ſed cùm aduenisſet veſpera, audit rurſus anum blādientem puerulo, ac dicentem, Si venerit lupus huc, interficiemus eum, fili. his auditis, lupus eundo dicebat, In hoc tugurio aliud dicunt, aliud faciunt.

*Affabulatio.*

Fabula in homines, quorum facta verbis non reſpondent.

*Canes.*

HAbens quidam duos canes, alterum venari docuit, alterum domum ſeruare. Cæterùm ſi quando venaticus caperet aliquid, & domeſticus particeps vnà cum eo erat cœnæ. ægrè ferente autem venatico, & illi obiiciente, quòd ipſe quotidie laboraret, ille nihil faciens ſuis nutriretur laboribus, reſpondens ipſe ait: Non me, ſed herum reprehende, qui non laborare me docuit, ſed labores alienos comeſſe.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, adoleſcentes, qui nihil ſciūt, haud eſſe reprehendendos, cùm eos parentes ſic educauerint.

*Homo perfractor ſtatuæ.*

HOmo quidam ligneum cùm haberet Deū, & egeret, ſupplicabat, vt ſibi benefaceret. cùm

cùm igitur hæc faceret, & nihilominus in paupertate degeret, iratus, eleuatum ipſum cruribus, proiecit in pauimentum.illiſo igitur capite, ac ſtatim diffracto, auri quàm plurimum effluxit.quod iam ille dùm colligeret, exclamabat, Peruerſus es, vt puto, & ingratus; colenti enim mihi nequaquam profuiſti, verberanti autem te, multa donaſti bona.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, non profuturum te honorando prauum hominem, ſed verberando ipſum, profuturum magis.

*Mulier & Ancilla.*

MVlier vidua operoſa ancillas habens, has ſolebat noctu excitare ad opera,ad gallorum cantus. hæ verò aſſiduè defatigatæ labore, exiſtimarunt oportere domeſticum occidere gallum,tanquam illum, qui noctu excitaret heram.euenit autem ipſis hoc facto, vt in grauiora inciderent mala: nam hera ignorans gallorum horam, magis de nocte eas excitabat.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, pleriſque hominibus conſilia eſſe malorum cauſas.

*Iactator.*

VIr quidam peregrinatus, deinde in ſuam patriam reuerſus,aliaque multa in diuerſis viriliter geſſiſſe locis iactabat,atque etiam Rhodi ſaltaſſe ſaltum,quem nullus eius loci potuerit ſaltare: ad hoc & teſtes,qui ibi interfuerint, dicebat ſe habere. quidam autem ex iis, qui ade-

rant,ſuſcipiēs,ait, Heus tu,ſi verum hoc eſt, non eſt tibi opus teſtibus:En Rhodus, en ſaltus.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, niſi prompta rei demonſtratio ſit,omnem ſermonem vanum eſſe, & ſuperuacaneum.

*Malignus.*

VIR malignus ad eum, qui in Delphis eſt, iuit Apollinem, tentaturus ipſum. Atque ideò comprehenſo paſſerculo manu, & eo veſte contecto, ſtetit proximè tripodem, ac rogauit Deum, dicendo: Apollo, quod manibus fero, vtrum viuúmne eſt, an mortuum? nam ſi mortuum diceret, viuum oſtenſurus erat paſſerculum: ſin viuum,ſtatim ſuffocatum, mortuum illum efferret. Sed Deus, maligna ipſius cognita mente,ait, Vtrum vis,heus tu, facere,facito:penes te enim eſt iſtud facere, ſiue viuum quod cōtines,ſiue mortuum oſtendere.

*Affabulatio.*

Fabula ſignificat, numen neque decipi poſſe, neque quicquam latere.

*Puer & Mater.*

PVer ex literario ludo condiſcipuli librum furatus,tulit matri.cùm ea verò non corripuiſſet, ſed potiùs amplexata fuiſſet, prouectus ætate,cœpit & maiora furari.in ipſo autem furto aliquando deprehenſus, ducebatur rectà ad mortem.at,ſequente & lugente matre,ille carnifices orabat, vt breuia quædam matri narraret in au-

tem. quæ cum ilicò ori filij se admouisset, ille aurem dentibus demorsam abscidit. matre autem & aliis accusantibus, quia non solùm furatus sit, sed & in matrem impius esset, ille ait: Hæc enim mihi perditionis fuit causa. si enim cùm librum furatus fui, me corripuisset, non ad hæc vsque procedendo, nunc ducerer ad mortem.

*Affabulatio.*

Fabula significat, eorum, quæ non in principio puniuntur, in maius augeri mala.

*Vulpes & Hircus.*

Vulpes & hircus sitiẽtes in puteum descenderunt, sed postquàm biberunt, hirco indagante ascensum, vulpes ait, Confide, vtile aliquid in vtriusque etiam salutem excogitaui. si enim rectus steteris, & anteriores pedes parieti firmaueris, & cornua pariter in anteriorem partem inclinaueris, cùm percurrerim ipsa per tuos humeros & cornua, & extra puteum illinc exiluerim, & te posteà extraham hinc. ab hirco autem ad hoc promptè officio præstito, illa cùm ex puteo sic exiluisset, exultabat circum os læta. Hircus autem ipsam accusabat, quòd transgressa fuerit conuentiones: illa autem, Sed si tot, inquit, mentes possideres, quot in barba pilos, non antè descendisses, quàm ascensum considerasses.

*Affabulatio.*

Fabula significat, sic prudentem virum opor-

tere priùs fines considerare rerum, deinde sic ipsas aggredi.

*Homo & Canis.*

HOmo quidam parabat cœnam, accepturus amicum quendam suum, & familiarem. Canis item ipsius alium inuitando canem, dicebat, O amice, veni, cœna vnà mecum. is cùm accessisset, lætus astabat, magnam spectans illam cœnam, secum loquens, Papæ, quanta mihi lætitia modò derepentè oblata est: nam & nutriar, & ad satietatem cœnabo, ita vt nullo modo cras esuriam. hæc secum dum diceret canis, simulque moueret caudam, vt qui iam amico fideret, cocus vt vidit, ipsum huc & illuc caudam circumagentem, arreptis cruribus illius, eiecit statim de fenestris. at is cùm decidisset, ibat vehementer exclamando. sed canis quidam, cùm illi in via occurrisset, percunctabatur: Vt bellè cœnatus es amice? is suscipiens ei dixit, Multo potu inebriatus supra satietatem, ne ipsam quidem viam, vnde egressus sum, noui.

*Affabulatio.*

Fabula significat, non oportere confidere iis, qui ex alienis benefacere pollicentur.

*Lignator & Mercurius.*

LIgnator quidam apud fluuium suam amisit securim: inops igitur consilij, iuxta ripam sedendo plorabat. Mercurius autem, intellecta causa, & miseratus hominem, vrinatus in fluuium, auream sustulit securim, & an hæc esset

quam

quam perdiderat, rogauit. illo non eam esse dicente, iterum vrinatus argenteam sustulit. illo neque hanc esse suam dicente; tertiò vrinatus, illam ipsam quam perdiderat sustulit. Illo hanc verè esse deperditam dicēte, Mercurius probata ipsius æquitate, omnes ei donauit. Ille profectus, omnia sociis, quæ acciderant, narrauit. quorum vnus eadem facere decreuit, & ad fluuium profectus, & suam securim consultò demisit in profluentem, & plorans sedebat. apparuit igitur Mercurius & illi, & causa intellecta ploratus, vrinatus similiter auream securim extulit, & rogauit an hanc amisisset. illo lætabundo, &, Verè hæc est, dicente, perosus deus tantam impudentiam, non solùm illam detinuit, sed ne propriam quidem reddidit.

*Affabulatio.*

Fabula significat, quantum iustis Deus auxilietur, tantum iniustis eum esse contrarium.

# EX EPISTOLIS QVÆ PHALARIDI adſcribuntur.

*Zeuxippo.*

TV o quidem filio propter adoleſcentiam ignoſco, tibi verò propter ſenectutem: licet ea feceritis, quæ non ſint ignoſcenda. Porrò ſi non à contumacia deſtiteritis, neque illum adoleſcentia, neque te ſenectus eripiet: ſed ob hæc ipſa magis puniemini, ob quæ nunc venia dignati eſtis. Vale.

*Cleoſtrato.*

PRorſus mihi cum riſu dignum videtur admiratione, quòd quidam abs te caſtigentur. Eum enim qui alios increpare affectet, ab omni ipſum ſcelere abſolutum eſſe oportet. Tu verò quum & iis vitiis, quibus illi quos caſtigas, obnoxius ſis, atque aliis vniuerſis, ſic alios caſtigas, quaſi ipſe, quod ad ſcelera attinet, planè ſis irreprehenſibilis. Vale.

*Lacrito.*

QVòd ob filij mortem grauiter doleas, omnis tibi debetur venia. Nam & ego vnà tecum vehementer commotus, eum caſum, vt vnus ex familiaribus reputans, plus doleo: tametſi rigidiori ingenio in huiuſmodi caſibus vtar, quòd nullam prouenire vtilitatem videam,

ne

ne iis quidem qui ſupra modum contriſtantur. Magna autem iſtius tibi calamitatis conſolatio ſit, primum quidem, quòd pro patria certans, in bello cum ſumma laude mortuus ſit. deinde, quòd vincens, optimo vitæ termino à fato ſit dignatus. Poſtremò autem, quòd nullo per vitam admiſſo peccato, propriam virtutem morte obſignauerit. Qui enim, dum viuit, probus eſt, de eo perincertum eſt, an in deterius mutetur. Fortuna enim plurimum hominibus, non conſilia dominantur. Qui autem mortuus eſt inculpatus, is in pulcherrimo gloriæ ſtatu fundatus eſt. Exiſtimans igitur, dignā te ab eo gratiam generationis educationiſque percepiſſe, quòd bonum ſe atque honeſtum ad finem vſque præſtiterit: hoc illi viciſſim tribue beneficium, vt conceptum eius cauſa mœrorem leuiter admiſſaque facile conſolatione feras. Vale.

*Paurolæ filio.*

MAximè quidem ambos te parentes, ô fili, amare conuenit, ac maximi facere (hoc enim alioquin honeſtum atque pium eſt, vt filius gratiam iis referat qui genuere, tantiſque affecere beneficiis) potius tamen patrem negligito, quàm matrem. Non enim æqualia vel ſimilia poſſunt eſſe patris circa liberorum incrementum officia, iis quæ ſunt matris. Verùm mater quidem, præter id quòd vterum tulit ac peperit, nutriciſque functa eſt munere, innumeros alios pertulit labores: pater verò iam edu-

çati a matre filij & adulti, fruitionis vult esse particeps, rem nullam expertus difficilem. Peculiariùs autem præ aliis tua mater, propter meum exilium, in eo vt ad adultam peruenires ætatem, elaborauit, sola omnes pro ambobus curas subiens. Proinde & tu gratiam vtrique parenti debitam, vni matri, vt quæ omnem subierit laborem, referto. Implebuntur enim abs te & patri debita officia, si matri omnem præstiteris humanitatem. Nihil enim mihi ipsi vt facias plus exigam, si erga eam pietatem exercueris: imò & accepisse me abs te magnam beneficentiæ partem confitebor. Nam te decet matri gratiam ob multa referentem, magnæ initium beneficentiæ acquirere apud patrem. Vale.

*Eidem.*

QVæ à patre filio debentur officia, Paurola, percepisti. Quæ autem abs te patri debentur, si non vicissim præstas cùm possis, delinquis. Audio enim te eruditionis, id quod sæpiùs reprehendi, nullam habere curam. Nullam autem mihi abs te gratiam referri volo, si hanc non fuero consecutus. Scias autem, quòd eruditionis fructum, si mihi gratificari volueris, non is cui refertur gratia, sed magis qui refert, possessurus sit. Vale.

*Antimacho.*

SI tu quidem habes, & non reddis debitum, spontè prauus es: sin autem non habes, facis tu quidem iniuriam. attamen quod præter

vo-

voluntatem nostram fit, apud eos qui rem humaniter considerant, venia censetur dignum. Venia autem (cognosce) dilatio est receptionis, non absoluta pecuniarum desperatio. Vale.

*Megarensibus.*

NOn quòd me sperem à vobis gratiam recepturum, triremes vestras captas dimisi, manifestè contra me nauigantes. Nam si beneficij memores essetis, non profectò essetis obliti, quòd antea ter vos, iam in frumentorum penuria morientes, seruauerim. Valete.

*Aristaneto.*

NOn mihi molesta est senectus. Non enim tyrannidis robur consenuit, sed Phalaris. Tu verò mihi molestus es, nimiùm mihi metuendo. Fatum enim veniet, etiamsi Aristænetus, plus etiam quàm oportet, metuerit. Multo autem satius, absque metu futurum perpeti malum, quàm cum metu, vt tibi aliquid etiam poëticarum exhortationum scribam. Vale.

*Epicharmo.*

SAtis est mihi, quòd nos solus iustos censeas, etiamsi alius nemo dicenti tibi crediderit. Vnus enim istiusmodi vir, instar mihi totius Siciliæ est. Indiscretam autem multitudinem, solitudinis existimamus supplementum, à qua & ignorari nos, neque meliores videri, quàm sumus, non est fortassis inutile. Multos quidem habes tui similes, (virtutem enim hominum,

non

non numerum consideramus) quibus cum nos reputasti bonos ac honestos esse: si tu tamen solus esses, abundè magnam testium haberemus copiam, pluribusque laudibus non indigeremus. Vale.

*Axiocho.*

GLoriari quidem, quemadmodum & ob aliud quiddam rerum bonarum, ita etiam ob generositatem licet. ego verò vnam tantùm generositatem noui, virtutem: cætera verò omnia, dona fortunæ. Et fieri potest, vt ex malis prognatus, euadat bonus, & reg.bus omnibusque hominibus generosior: & vt prognatus ex bonis, euadat malus, & semetipso atque omnibus abiectissimis ignobilior. Quare animi laudem iacta apud Syracusanos, non maiorum tuorum mortuam in successoribus obscurioribus generositatem. Vale.

*Timolao.*

NIhil peccare, meritò forsan ac iustè Dei esse censetur: in posterum autem corrigi eo ipso, quod quis peccauit, hominis. Porrò se non custodire post lapsum atque infortunium, haud scio cuius esse alterius possit existimari, quàm mali. Turpe est igitur (adhuc enim propius accedemus) vt is qui aliis temeritatis exemplum factus est, non sibi ipsi, ne propria quidem calamitate doctus, vtilis fiat. Vale.

*Lysandro.*

PRæuenimus tua nobis missa auxilia. Prius enim quàm venissent missi ab Euclide milites,

tes, conſpeximus hoſtes. Itaque nobis ad prælium quidem cõducti milites ob tardum aduentum, nihil prorſus profuerũt: ad gloriam autem ac laudem, plurimum. Paucorũ enim noſtrûm, qui decertauimus, non omniũ eſt victoria. Poſtquã enim maiora ſimul adiuimus pericula, præmia etiam ſplendidiora nacti ſumus. Vale.

*Arimacho.*

NOn nobis moleſta eſt calumnia neque opinio, quam de me præſentes homines habent. Nam cùm videam perinde haberi, iniuriã facere, imò multo iuſtius iam cenſeri iniquum quod eſt, quàm quod æquum, tantum abſum vt abſcõdam, vt etiam liberè audeam inſuper profiteri: aliis quidem hominibus contigiſſe natura, vt mali ſint, mihi autem neceſſitate. Aio enim & nobis iniquos agnatos eſſe affectus, atque aliis omnibus eoſdem inſitos. Vno autẽ differimus, quòd nos tyranni exiſtimati, quum poteſtatem habeamus, fateamur: illi autem priuati quum ſint, propterea quòd metuunt dare pœnas, negant. Vale.

*Ennenſibus.*

EQuidem & libertatis me vobis autorem fuiſſe puto: ſed de libertate non reprehendo ingratitudinem veſtram, argentum autem mutuò acceptum reddite. Nam & ego ipſe non mediocri laboro penuria, atque circummitto in totam Siciliam pro pecuniis mutuandis. Et partim quidem donarunt nobis, vt Leontini ac Geloi, partim ſe mutuum daturos promiſerunt, vt

Hyalen-

Hyalenses ac Phinties. Quid igitur per Iouem, de vobis ipsis existimare potestis, tamdiu non reddentes mutuò acceptas pecunias, quandò alij suas donant, nullo à nobis affecti beneficio? Quod si resciscant illi, qui se donaturos nobis promiserunt, quòd pro debitis pecuniis recipiendis, aliis nihil debentibus graues simus, an adhuc putatis eos daturos? Ego sanè non puto, ne illos quidem qui se mutuum daturos promiserunt, adhuc daturos: sed cogitaturos: quòd qui sua à debentibus non repetit, is neque mutuum dantibus reddere volet. Hæc igitur expendentes, nisi reddatis, erubescite. Si verò hæc nihil effecerint, sciatis reperturos nos, quod vos compellet, si modò ij qui compelluntur, iusta facere possunt. Valete.

# EX BRVTI EPISTOLIS.

*Brutus Pergamenis.*

AVDIO vos Dolobellæ pecuniam dedisse. quam quidem si volūtariè dedistis, fatemini quòd iniuria me affeceritis: sin inuitè, illud ostendite, vltro mihi dando.

*Pergameni Bruto.*

DOlobellæ quidem pecuniam, dum abundabamus, dare coacti fuimus. Tu vero à no-

nobis, dare cupientibus, petis, quum propensa voluntas præ inopia, quod cupit implere non facile possit.

*Brutus Pergamenis.*

PEcunias quum eo quo imperauimus tempore non miseritis, nihil aliud profecistis, quam quod coacti illas dare videbimini; ita vt duplici vos augeatis damno, sumptus æque sustinendo (dabitis autem tanto grauius quanto magis nolentes) & gratiam quam merito propter obsequium reportassetis, amittendo. Neque enim æquum est, vt eodem loco habeantur, qui prompte imperata exsequuntur, & illi qui necessitate coacti id præstant.

*Pergameni Bruto.*

SI pecuniarum exhibitio nobis facilis fuisset, non cõmisissemus vt tarditate gratia periret. Quid enim prodest negantibus, vi postea cogendis, si duplici damno augeantur, impensam facientes, gratiamque amittentes? Sed hoc scito, quod festinatio, copiæ est; mora vero studii inopiam superare coacti. Nequaquam certe æquum est, vt miseri & qui præ inopia differunt minus gratiæ referant, quam qui propter abundantiam (alioquin non facturi) dare properant.

*Brutus Pergamenis.*

PEcunias vestri attulerunt legati, pro ea quam causamini tenuitate plures, verum si necessitatem, ob quam eas petimus, spectetis,

pauciores. Cauete igitur ne plus poſſitis quam præ vobis fertis: & minus velitis, quam poteſtis.

*Pergameni Bruto.*

MIſimus tibi pecunias, etſi quam neceſſitas tua requirebat pauciores, tamen quam promiſeramus plures. excuſabamus etenim: vtpote qui minus haberemus quam vellemus. contribuimus autem, vt qui plus ſtudii quam pro viribus adhibuerimus.

*Brutus Rhodiis.*

XAnthios deuictos, quum a nobis defeciſſent ad impuberes vſque omnes trucidauimus, vrbemque combuſſimus. Pataræis autem, quod partes noſtras ſequuti eſſent, tributa condonauimus, & vt liberi & ſui iuris eſſent, conceſſimus. quin & pro reſtauratione eorũ quæ tẽporis iniuria vaſtata erant, quinquaginta talenta largiti ſumus. Proin vobis in commune conſulere ac videre licet, vtrum hoſtes, vt Xanthii, an vero amicos, vt Pataræi, nos habere velitis.

*Rhodii Bruto.*

XAnthios pro libertate reſiſtẽtes licet atrociter tractaueris; nequaquam tamen Pataræos imitabimur, qui muneribus corrupti ſeruitutem ſubierunt, ſed illorum deprecantes fortunam, generoſitatem ſeruare conabimur: Horum vero ſententiam vituperantes, non inuidebimus ipſis tua illa munera; libertatem cum periculo coniunctam magis glorioſam exiſtimantes,

mantes, quam lucri causa vltroneum transfugium.

*Brutus Cois.*

RHodus quidem a Cassio in seruitutem redacta est, quæ ciuitas magis audax quam propria virtute firma. Lycia vero nobis vniuersa paret. illa quidem bello fatigata, hæc vero ex necessitate consultius iudicauit, vi non cogi, ne extrema subiret. Vltro enim id elegerunt, quod non ita multo post vel inuiti facturi erant. Eligite igitur & vos, vtrum bello coacti seruire, an vero nos voluntarie recipiendo, amici esse velitis.

*Coi Bruto.*

NEque Rhodiorũ expugnatio nos terruit tuas partes non sequutos, neque Lyciorũ cum adulatione prosperitas persuasit. Spes enim atque metus inter amicos non parum momenti habent: verum apud illos qui alienati sunt, facile contemnuntur. Cæterum nos qui antea in tuas partes concessimus, id vnum veremur, ne aut minis aut pollicitationibus acquisiti videamur. Fac igitur vt nos apud alios ceu amicitiæ exemplum potius, quam aliorum apud nos afferas.

*Brutus Pataræis.*

DAmasippum Rhodiorum classis præfectum Rhodiis superatis fugientem cum duabus cataphractis ex Hermodoro mercatore Samio, in maximo vestro portu visum esse intellixi. Quod eo appulerit, peccatum

vestrum nullum esse existimo. verum si longius a vobis aufugere siueritis, vos iniurios simul atque ignauos iudicabo.

*Patarei Bruto.*

SI citius nobis quam tibi de classis præfecto nunciasset Hermodorus, non quemadmodum clam appulit Damasippus, sic etiam clam soluens aufugisset: sed Rhodiorum cladis pars quoq; fuisset. Nunc vero dabis veniam euentui ignorationis, cuius multam atque initium dedisti. neque hoc iniuriæ adscribendum, si quis latentem receperit, neque ignauiæ si latens itidem aufugerit.

*Brutus Damæ.*

ARmis atque pecunia opus est. aut mitte aut denega.

*Damas Bruto.*

MIttere eorum est, quibus copia suppetit, denegare autem eorum quibus deest.

*Brutus Milesiis.*

SI vobis in cōmuni arma sunt, & his non vtimini, peccatis. vna enim armorū vis, nempe in vsu. Si vero illa comparare negligitis [videte] quam reprehensione digni sitis, si habentes illis non vtamini, quanto magis accusandi, si omnino careatis?

*Milesii ad hæc.*

NEquaquam virorum robur in armis, sed armorū [robur] in viris consistit Illa enim sine his cessant. Hi vero & arma parare & vti possunt. Non itaque si absunt arma, ideo desunt

ſunt illa parare valentibus. Neque vtilia ſunt illis, qui, etſi habeant, iis vti non poſſunt.

*Brutus Bithynis.*

COnſilia veſtra, nullius momenti: executiones tardæ. quis horum finis futurus ſit, cogitate.

*Bithyni ad hæc.*

PRolixe conſulere, tutum: tarde vero exequi, imbecillitatis eſt. Horum amborum finis vnus, venia.

# EX IVLIANI IMPERATORIS EPISTOLIS.

*Iulianus Libanio.*

QVandoquidem promiſſi tui oblitus es (tertius enim hic dies eſt, neque Priſcus philoſophus venit, ſed literas miſit tanquam adhuc moraturus) reuoco tibi in memoriam debitum flagitando. Eſt autem, vt ſcis eiuſmodi, vt & tibi facile ſit perſoluere, & mihi periucundum accipere. Mitte itaque orationem illam ſimul cum nobili conſultatione, ſed per Mercurium & Muſas, mitte celeriter. Sed & me ſcito tribus his diebus valde abs te cõſumptum eſſe, ſi quidem vere ait poëta Siculus, vno die amantes conſeneſcere. Quod ſi ita eſt, vt certe eſt, ſenectutem iam nobis, vir egregie, triplica-

ſti. Hæc ad te dictaui occupatus. Scribere enim ipſe non poteram, quod manum lingua tardiorem habebam. Quin & lingua ipſa tardior iam eſt, quod eam iam diu non exercuerim. Vale frater ſuauiſſime & chariſſime.

*Julianus Theodoræ plurimum obſeruandæ.*

LIbros omnes, quos ad me miſiſti, cum epiſtolis perlibenter accepi, a Mygdonio viro optimo mihi redditos. Et cum otii vix quicquam haberem (dii enim ſciunt nihil me verbis minuere) hæc ad te reſcripſi. Tu vero da operam vt valeas, & ſemper ad nos tales literas mittas.

*Julianus Libanio.*

LEgi heſterno die orationem tuam magna ex parte ante prandium: pranſus vero, ſine vlla intermiſſione reliquum abſolui. O te felicem, qui ita poſſis dicere, aut ſentire potius! o orationem! o mentem! o prudentiam! o partitionem! o argumenta! o diſpoſitionem! o aditus! o verba! o numerum! o compoſitionem!

*Julianus Maximo Philoſopho.*

ALexandrum Macedonem aiunt Homeri carminibus indormire ſolitum, vt noctes dieſque in bellicis eius libris verſaretur: at nos cum tuis epiſtolis tanquam Pæoniis medicamentis dormimus, eaſque aſſidue tanquam recentes ac nouas iteramus. Quare ſi tuarum

literarum colloquium, id eſt tuam imaginem nobis repræſentare vis, ſcribe,& aſſidue ſcribe, vel potius diis iuuantibus veni, tibique perſuade, quamdiu abfueris, nos vita frui non poſſe dicere, niſi eatenus, quoad literas tuas legimus.

*Iulianus eidem.*

AQuilam fingunt fabulæ, cum veros fœtus explorare vult, implumes eos adhuc & teneros in cælum ferre, Soliſque radiis obiicere, tanquam Deo teſte verum patrem a falſo atq; adultero ſeiungat: at tibi nos tanquam Mercurio eloquentiæ Deo ſcripta noſtra offerimus, vt ſi aures tuas ſuſtinere poſſint, tu pro arbitrio tuo ſtatuas, an in vulgus euolare debeant: ſin minus, ea continuo proiicias tanquam a Mnſis aliena, aut flumine obruas vt adulterina. Sic certe Gallis iniuriam nullam facit Rhenus, qui ſpurios infantes vndis abripit, tanquam impuri lecti vindex: quos autem ex puro ſemine ortos agnouit, in ſumma aqua ſuſpendit, matriſque trementis manibus reddit, & quaſi verum incorruptumque caſti & laudabilis coniugij teſtimonium ſeruato infante perſoluit.

*Iuliani lex de medicis.*

ARtem medicam hominibus ſalutarem eſſe, vſus ipſe demonſtrat. Quare eam e cælo delapſam non immerito philoſophi prædicant. Etenim naturæ noſtræ infirmitas,

& valetudinis offensiones quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem ſicut æquitatis ratio poſtulat, nos ſuperiorum regum anctoritatem & vocem ſecuti, pro noſtra humanitate iubemus vos Senatoriis muneribus liberos in poſterum viuere.

*Iulianus Gregorio Duci.*

MIhi ſane vel exigua abs te epiſtola ſufficit ad magnæ voluptatis occaſionem capiendum. Ego vero iis quæ ſcripſiſti, plurimum lætatus, parem gratiam refero, neque tam epiſtolæ prolixitate, quam beneuolentiæ magnitudine amicorum charitatem amplificandam eſſe iudico.

*Iulianus Luciano Sophiſtæ.*

SCribo, & literas viciſſim expecto. Quod ſi tam crebris literis tibi iniuriam facio, tu mihi viciſſim parem iniuriam reponito.

# EX SYNESII EPISTOLIS.

*Ioanni.*

VAcuitas timoris maxima eſt, timere leges: tu vero eas turpitudine affeciſti, ſemper conſpici metuens. Quapropter metuito inimicos, & cum his iudices, ſi non furti ſe alligarint. Quinetiam ſi ſe furti alligarint, tuq; non ſis qui plura des, nihilominus cauendum eſt. Iraſcuntur

ſcuntur enim pro legibus, cum etiam mercedis datores aſſumpſerint. Vale.

*Theophilo.*

PRofunda te ſenectus ac matura vtinam maneat, ſanctiſſime, ac ſapientiſſime. Nam ſuperſtes & in aliis lucrum eſſes vitæ,& maximum additamentum ſcholæ Chriſti ſit, publicorum librorum numerus,qui ſimul cum annis creſcit. Sane liber anno ſuperiore tranſmiſſus,& lætitia ciuitates & vtilitate affecit: vtilitate quidem,ex ſenſuum pondere: lætitia vero, ex dictionum venuſtate. Vale.

*Diogeni.*

HVuiſmodi res eſt, Syrorum luxuries. Et cognatorum & amicorum obliuioſos reddit. Menſis enim hic quintus eſt, ex quo nos literis non ſalutaſti: idque,quum tibi natura dederit,vt non ſolum ad neceſſitatem, verum etiam ad oſtentationem ambitionemque dictare poſſis epiſtolas. Sed ſi ipſe vales & aurei pueri, pulchrorumq; liberorum mater, nobis & hoc ſufficit. Vale.

*Heliodoro.*

MIhi quidem procedit cum annis & philtri auctarium: tu vero, ſiquidem ſimiliter affectus,non agis ocium a negociorũ turbis, vt literis nos digneris, vt par eſt, ſemel aliquando,& quos par eſt, furatus temetipſum a publicis tantum temporis,quantum ſufficiat ad epiſtolæ menſuram,hoc ipſum ſignifica. Sin autem agnoſcis veram eſſe obliuionis aduerſum te ſu-

ſpicionem, corrige eam pœnitentia, atque te-metipſum nobis reducito. Vale.

*Troilo.*

ET ſi neque Cyrenenſes, neque vicinæ ciuitates tibi dignam referent gratiam, pro iis de quibus illis admirãdus ſcribit Anaſtaſius, omnino certe Dei tibi aderit gratia, cui te concilias beneficii propoſiti ſocietate. Beatus ſis philoſophorum optime. Sic enim mihi lubet te appellare, quemadmodũ res ipſæ dictant. Vale.

*Conſtanti.*

SI philoſophiæ virtutem honoras, non ſolum eam in præſentib. eius participibus, ſed etiã in abſentibus honorabis. Porro magnus Amyntianus, qui apud nos aliquando meliorem ſortem nactus eſt, mihi videtur adeſſe, etiam ſi abeſſe videatur. Huius cognatum admodum, patruelem, iniuria afficit Soterichus, iſtic qui habitat. Oſtende quod curam habeas Dionyſii, & ceſſare feciſti Soterichum ab iniuria facienda. Vale.

*Olympio.*

COntriſtant eccleſiam, alieni ſceleſti. Tranſi cõtra eos. Nã claui clauos expellũt. Vale.

*Ioanni.*

VTi oportet potentum amicitiis, non abuti. Vale.

*Eidem.*

NE petas magna: ne ex duobus alterum, vel conſecutus, contriſtes: vel non conſecutus, contriſteris. Vale.

*Fratri.*

QVem nam, quem ab iis, qualis ipse es, conuenit suspici? Eum qui sit modestus, qui sit concinnus, qui sit eruditionis amicus, qui Deo prorsus adhæreat, qui sit qualis est Gerontius. Habes igitur hominem cum epistola. quo si fueris vsus, dices me non malum esse laudatorem. Vale.

*Eidem.*

EPistolæ prolixitas, tabellarium indicat non adeo esse familiarem. sed admirandus Gerontius, nouit quidem quæcunque & ego. si vero non male illi cum mendacio conueniret, plura etiam quam scit narraret, quod & me amet, linguamque habeat quæ animo possit sufficere. Quem si videas libenter, vidisti vt ego volo. Vale.

*Eidem.*

SVscipe cum animato & inanimatam epistolam: cum admirando, nempe Gerontio, hasce literas, magis lege quam necessitate salutandi te factas. Quod enim nos tui recordatione tecum viuimus, longe vocalius sexcentis epistolis adolescens narrare poterit. Vale.

*Troilo.*

NOn ob easdem res homines amant & laudant: neque vna super hæc vtraq; animæ potentia ordinata est. sed affectibus quidem, aut familiares efficimur, aut disiungimur: ea vero animæ parte, quæ iudicio atque ratione valet, laudamus & vituperamus. Vale.

*Theodoro medico.*

NEcessarium bonum est, ciborum parcitas: quam alius quispiam etiam posset reprehendere: tibi autem fas non est, Hippocratem iactanti, qui definiens cibi inopiam, sanitatis dixit esse matrem. Vale.

*Heliodoro.*

FAma fert, te multum posse apud eum, qui nunc Ægypto præest; & vera dicit. Iustissimus enim es, quod honeste vtaris potentia. Vt igitur tui ingenii potentiæque fructum capias, audi meum Eusebium, pro quibus roget, vt scias nos etiam rhetorem tibi commendasse. Vale.

*Fratri.*

AEsculapii sectatores, medici, difficulter vomentibus aquam tepidam dant ad exsorbendum, vt simul cum hac, etiam antea in ventriculum demissa extrahant. Volo igitur & ego nouos tibi rumores, nuper ex continenti allatos, annunciare: vt mihi eos magno cum fœnore reddas, additis, si qua plura nosti. Vale.

*Episcopo cuidam ab Episcopatu eiecto, quod noluisset Arii assentiri dogmati.*

REcepisti, quod eras: non abiecisti. Non enim, quum quis ab impiorum separatur numero, tunc etiam piorum priuatus est thronis. Porro Ægypti alienationem amplectere, censeq; prophetam ad te magna voce clamasse:

Quid

Quid tibi & terræ Ægypti, vt bibas aquam Geon? Gens enim est antiquitus Deo rebellis, sanctisque patribus inimica. Vale.

# EX GREGORII THEOLOGI EPISTOLIS.

*Nicobulo.*

LAconissare, non illud est quod putas, paucas syllabas scribere, sed de plurimis rebus paucas. Hoc modo, Homerum inprimis breuiloquentem, & contra prolixum Antimachum aio. Qui sic? rebus, non literis longitudinem metiens.

*Eudoxio Rhetori.*

QVo in statu sint res nostræ, rogas? sane perquam acerbo. Basilium non habeo, Cæsarium non habeo, spiritualem fratrem atque corporeum. Pater meus, & mater mea, vt cum Dauide loquar, me deseruerunt. Corpus male habet, senectus capiti incumbit, curarum continui nexus, negotiorum turbæ, amicis nulla fides, Ecclesię pastore destitutæ, pereunt bona, nuda mala, nauigatio in nocte, pharus nusquam, Christus dormit. Quid agas? vna me ex his ærumnis mors eripere potest. Et ab illa mihi metuo, ex præteritis coniecturam faciens.

*Gregorio Nysseno.*

ANgunt te peregrinationes, & instabilis

tibi ipſe videris,ceu ligna quæ in aquis aguntur nequaquam, o vir admirande, hoc tibi perſuade.illorum enim agitatio coacta, tua vero ſecun dũ deum circumcurſatio eſt:certumque tibi ac fixũ multis prodeſſe, quamuis (*certo*) loco minime affixus ſis. Niſi forte quis ſolem accuſare velit,quod circumcurrat,radios ſpargens,& rebus omnib. vitam indens quas obit: aut ſi quis ſidera ab omni erratione libera laudet; errantia vero culpet, quorum erratio quoque concinna eſt.

*Eidem.*

NE nimis res iſtæ acerbæ te mordeant. ſi enim minus angimur,minus erunt moleſtæ.Neque id ita graue,ſi refocillati hæretici verni temporis beneficio freti ex antro,vt ipſe ſcribis,prorepant. Aliquantulum, ſat ſcio, ſibilabũt:poſt vero, a veritate & tempore oppugnati, ſeſe denuo occultabunt: idque tanto magis ſi deo rem omnem commendauerimus.

*Eidem.*

DE quibus ſcripſiſti,ſic ſentimus.neque deſpecti grauiter ferimus, aut honore affecti gaudemus. illo enim digni ſumus: hoc vero ambitionis noſtræ eſt. ora pro nobis. Ignoſce breuiloquentiæ.Hæc enim certe,etſi breuia,ſilentio tamen ſunt longiora.

*Procopio.*

EGo, ſi quod res eſt ſcribere oportet, eo animo ſum vt omnem epiſcoporum congrega-

gregationem fugiã: quod nullius synodi vtilem exitũ viderim:& quæ malorũ solutionẽ potius quam incrementum attulerit. Vincendi enim ac dominandi studium (me tamen nolim, quod ita scribam, rigidiorem existimes) rationem superat: citiusque accusetur quis *recentis* alterius mali iudex, quam illorum dirimat. Eam ob rem me ipsum cõtraho, vnicam animæ securitatem in quiete sitam existimãs. Nunc vero etiam valetudo huic iudicio meo patrocinatur, quippe qui fere semper flatum extremum efflare videar, nec ad vllam rem meipse vti queam. Quapropter ignoscat mihi animi tui magnitudo, & abs te Rex piissimus certior fiat, ne hoc negligẽtiæ adscribat, sed infirmitati condonet: propter quam scit se concessisse nobis petentibus vti secederemus, loco alterius beneficii.

*Anysio.*

QVo modo res nostræ habeant, rogas? Cum historia quadam respondebimus. Legatos ad Lacedæmonios miserũt Athenienses (inquit) quum tyrannide premerentur. Legationis summa hæc erat, vt pro eorum humanitate sibi subuenirent. Postquam vero ab illa legatione redierunt; quæsiuit aliquis, Quo modo erga nos se gessere Lacedæmonij? Illi vero, vt erga seruos, inquiunt, valde humaniter: verum vt erga liberos, perquam contumeliose.

Possum & ego hoc ipsum scribere, mitius enim nobiscum agitur, quam cum desperatis: Durius autem quam cum illis qui Deo dediti sunt. Morbus siquidem adhuc molestus est, & amici a maleficiis non desistunt, quantum in ipsis est nocendo. Verum tu Deum vt nobis propitius sit precare. Et ex duobus alterum [fiet] aut omnino acerba ista mala effugiemus, aut certe durabimus. Æquanimitas enim casum aduersum minuit.

*Celeusio.*

NE me iudices tacentem: neque enim ego te loquentem. quod de cibis Paulus statuit. Si vero iudicas, metue linguam, ne in te concitetur prius, si te qui tacere debueras, prehendat.

*Nicobulo.*

VT semper mihi ipse magnum Basilium prætuli (quamuis secus ipsi videatur) ita & nunc præfero; quum & veritas & amicitia nostra id postulet. Ideo epistolas eius præponens, meas suppono. Cupio etenim vbique nos vna coniungi, simulq; exemplum præbeo aliis, vt animo sint modesto ac submisso.

# EX BASILII EPISTOLIS.

*Olympio.*

PAuca quidem nobis prius scripsisti, at nunc ne pauca quidem: & videtur prior illa breuiloquen-

uiloquentia,tempore in merum ſilentium conuerti. Ad antiquũ igitur redi:neque in poſterũ tibi in litteris Laconiſſanti amplius ſuccenſebimus, quin potius vel litteras breues, animum erga nos tuum ſignificantes, maximi faciemus.Fac tantum vt nobis ſcribas.

*Incerto.*

QVod te amem, ex eo quod ad te ſcribo, diſce: quod me odio proſequaris, ex eo quod ſiles cognoui. Tu vero in poſterum ſcribe, calamo & atramento chartaque breui amantes amans.

*Et hac inſcriptione caret.*

VNicũ vitæ indiciũ eſt ſermo.tu vero qui in terra eſſe cenſeri potes,nũquam loquens? verum miſſum facito tuum iſtud ſilentium,& ad nos ſcribe,& quod viuis oſtende.

*Quinque ſequentes epiſtolas inter Syneſianas repone.*

*Syneſius Symplicio.*

REmittere iubet Deus debita.Debet autem vnuſquiſpiam aurum mutuo acceptum: alius,dare pœnas. Quare & qui negligit ſumere pœnas, obediuit Deo.Vale.

*Eidem.*

EGo & tui curam habeo,& huius: tui quidẽ, ne iniuriam facias: huius autem, ne iniuria afficiatur. Quod ſi & tibi videatur cum Platone,iniuriam facere maius eſſe malum,quam

iniuriam pati, magis tibi videor quam huic gratificari, rogans pro eo, a quo pœna exigitur pro iis in quibus non deliquit. Vale.

*Philosophæ.*

Echus videor officium facere. Nam quas recepi voces, reddo, admirandum Alexandrum apud te laudans. Vale.

*Cledonio.*

COgnatus meus afficitur iniuria. Tu vero & amicus es & iudicem agis. Ex vna igitur attentione, poteris & mihi & legibus gratificari. Proinde redeat Asphalius ad dominium amphorarum ex patris testamēto, percepto simul inuentario, accusatio non erit impedimento, quin confestim audias. Quando enim iustitiam administrare potius oportet, quam id temporis in quo maxime Deum obsecramus? Vale.

*Domitiano Scholastico.*

IVsta opus habent adiutoribus: atque illi qui iis opem ferūt, beati fierent, quique collaborant iis qui recte agunt. Elegi ergo te horum propugnatorem consilioque laturum opem & arte. Meum quidem est, omnibus bene facere, quibuscunque potero: tu vero da occasiones. Senties enim amicitiam, quam neque ipse reprehendes, deridebitque fortasse nemo. Vale.

# LVCIANI DIALOGI ALIQVOT.

## *Iouis & Mercurii.*

ILlam Inachi puellam pulchram nosti Mercuri? MER. Etiam. Io dicis. IVP. Non amplius puella illa est, sed iuuenca. MER. Monstrosum hoc. Quomodo mutata est? IVP. Zelotypia mota Iuno transformauit ipsam. Sed & nouum aliud quoddam malum insuper excogitauit. Infelici illi bubulcum quẽdam multioculum, Argum nomine, custodem addidit qui iuuencam pascit, insomnis ac peruigil ipse existens. MER. quid igitur nos oportet facere? IVP. Deuolans in Nemeã syluam (illic alicubi Argus pascit) illum quidem interficito, ipsam vero Io per pelagus in Ægyptum abducens, Isim facito; & de cætero pro deo ab incolis habeatur: Nilumque attollat, & ventos immittat, & præterea nauigantes seruet.

## *Vulcani & Iouis.*

QVid me oportet facere, Iupiter? venio enim, ita vt iussisti securim habens acutissimam, etiamsi lapides opus sit vno ictu dissecare. IVP. Recte sane Vulcane. Sed iam impacta illa diuide mihi caput in duas partes. VVL. Tentas me, nũ insaniam? Impera igitur vere, quod vis tibi fieri. IVP. Diuidi mihi caluariam volo. si vero non obedieris mihi, me experieris non nunc

primum irascentem. Verum tamē ferire oportet audacter, & præsenti animo: neque cunctari: Pereo enim præ doloribus qui mihi cerebrū inuertūt. VVL. Vide Iupiter, ne quid mali faciamus. Acuta enim securis est: & non absque sanguine, neque etiam ad Lucinæ morem, tibi obstetricabitur. IVP. Incute modo Vulcane audacter. ego enim noui quid sit conducibile. VVL. Inuitus quidem: sed tamen feriam. Quid enim agat aliquis, te iubente? Quid hoc? puella armata? magnum, o Iupiter, malum habuisti in capite. Merito igitur iracundus fuisti, tantam intra cerebri paniculum virginem viuam nutriens, idque armatam. nimirum castra, non caput, habuisti, non aduertens. Hæc vero etiam saltat, & cum armis tripudiat, clypeum concutit, ac hastam vibrat, & quasi quodam furore concitatur. Et quod maximum est, formosa admodum, ac maturis nubilis annis breui adeo iam facta est: cæruleos quidem oculos habens, sed tamen & huic gratiam addit galea. Quare, o Iupiter, obstetricandi præmim hoc mihi refer: despon de mihi illam. IVP. Impossibilia petis Vulcane: perpetuo enim virgo manere vult. Ego certe, quātum in me est, nihil repugno. VVL. Hoc volebam. Reliquum quod est, ipse curabo, ac iam simul rapiam ipsam. IVP. Si tibi facile adeo hoc, facias licet. Veruntamen illud scio, quod amas ea quæ tibi contingere nequeunt.

*Plutonis*

*Plutonis, Crœsi, Menippi.*

NOn poterimus ferre, Pluto, Menippum hunc canen, cohabitantẽ nobiſcum. Quapropter aut illum hinc amotũ alio loco colloca, aut nos hinc alio commigrabimus. Pl. Quid autem vobis mali adeo facit, quando eodem modo mortuus eſt ac vos? Cr. Poſtquam nos ploramus & ingemiſcimus, illorum reminiſcẽtes quæ apud ſuperos habuimus (vt pote Midas hic, auri; Sardanapalus autem, multæ voluptatis, ego vero, theſaurorum) irridet, & cum conuiciis exprobrat ea nobis, mancipia & piacula nos vocitando. Interdum autem etiam cantando conturbat ploratus noſtros: & in ſumma valde nobis moleſtus eſt. Pl. Quid hæc audio de te Menippe? Men. Vera Pluto. odi enim ipſos, ignaui ac perditi adeo cum ſint: quibus non ſatis fuit vixiſſe male, ſed etiam mortui, inſuper cogitatione atque animo illis inhærent quæ apud ſuperos ſunt. Delector itaque ægre ipſis faciendo. Pl. Sed non decet. dolent enim non exiguis rebus priuati. Men. Etiam tu deliras, Pluto, qui gemitus iſtorum tuo quoq. calculo approbas. Pl. Haud quaquam. verum nolim vos diſcordes ac ſeditioſos eſſe mutuo. Men. At vero, o peſſimi Lydorum, Phrygũ & Aſſyriorum, ita de me cognoſcite, vt qui neque vnquam deſiturus ſim. Nam quocunque abieritis hinc, eodem ſequar ægre faciendo, cantando atque irridendo vos. Cr. Annon hæc contumelia eſt? Men. Non: ſed illa contumelia erant, quæ vos facere ſolebatis.

quando & adorari vos volebatis, & hominibus liberis pro libidine abutebamini. neque tum mortis quicquam memores eratis. Proinde deplorate nunc, omnibus illis despoliati. CR. Multis certe, o dii, & magnis possessionibus. MEN. Quanto equidem ipse auro! SAR. Quanta vero ego voluptate! MEN. Recte sane, ita facite: lugete vos quidem, ego vero tritum illud, Nosce teipsum, identidem connectendo, vobis occinam. decet enim huiusmodi ploratus, si crebro illis accinatur.

*Zenophanta & Callidemida.*

AT tu Callidemides, quo pacto interisti? Nam ipse quemadmodum, Diniæ parasitus cum essem, immodica ingurgitatione præfocatus fuerim, nosti. aderas enim morienti. CAL. Aderam, Zenophantes. Porro mihi nouum quiddam atque inopinatum accidit. Nam tibi quoque notus est Ptœodorus ille senex. ZE. Orbum illum dicis ac diuitem, apud quem te assidue versari conspiciebam? CAL. Illum semper captabam colebamq;, id mihi pollicens fore vt meo bono quamprimum moreretur. Verum quum ea res in longum proferretur, sene videlicet vel vltra Tithonios annos viuente, compendiariam quandam excogitaui viam, qua ad hereditatem peruenirem. Siquidem empto veneno, pocillatori persuaseram, vt simulatque Ptœodorus potum posceret (bibebat autem prolixius) præsentius in calicem iniiceret, haberetque in promptu, porrecturus

illi. Quod si fecisset, iureiurando confirmabam me illum manumissurum. ZE. Quid igitur accidit? nam inopinatum quiddam narraturus mihi videris. CAL. Vbi iā loti venissemus, puer, duob. paratis poculis, altero, Ptœodoro, cui venenū erat additum, altero mihi: nescio quomodo errans, mihi venenum, Ptœodoro porrexit innoxium. Mox ille quidem bibit: at ego protinus humi porrectum stratus sum, suppositicium videlicet illius loco funus. Quid hoc rides Zenophanta? Atqui nō conuenit amici malis illudere. ZE. Rideo profectò: nam eleganter ac lepide tibi hæc res euenit. Porro senex ille, quid interim? CAL. Primum ad casum subitum atque inexpectatum sane conturbatus est: deinde simulatq; intellexit id quod acciderat, puta pocillatoris errore factum, risit & ipse. ZE. Recte sane. tametsi non oportuit ad compendium illud diuertere. siquidem venisset tibi populari vulgataq; via, tutius certiusque, etiam si paulo serius.

## In Græco corrige.

*pag. 41 v. 6.* λῆς ἢ ὑποσχ. *54. 12. pro* τῷ *lego* τῶν *ib. d 21. pro* ἐστὶ λυπηρά. *malim* ἔσοι. *56. 16. lege* ἐπιεικὲς. *57. 17. lege* κἂν τοῦ.

quando & adorari vos volebatis, & hominibus liberis pro libidine abutebamini. neque tum mortis quicquam memores eratis. Proinde deplorate nunc, omnibus illis despoliati. CR. Multis certe, o dii, & magnis possessionibus. MEN. Quanto equidem ipse auro! SAR. Quanta vero ego voluptate! MEN. Recte sane, ita facite: lugete vos quidem, ego vero tritum illud, Nosce teipsum, identidem connectendo, vobis occinam. decet enim huiusmodi ploratus, si crebro illis accinatur.

*Zenophantæ & Callidemidæ.*

AT tu Callidemides, quo pacto interisti? Nam ipse quemadmodum, Diniæ parasitus cum essem, immodica ingurgitatione præfocatus fuerim, nosti. aderas enim morienti. CAL. Aderam, Zenophantes. Porro mihi nouum quiddam atque inopinatum accidit. Nam tibi quoque notus est Ptœodorus ille senex. ZE. Orbum illum dicis ac diuitem, apud quem te assidue versari conspiciebam? CAL. Illum semper captabam colebamq;, id mihi pollicens fore vt meo bono quamprimum moreretur. Verum quum ea res in longum proferretur, sene videlicet vel vltra Tithonios annos viuente, compendiariam quandam excogitaui viam, qua ad hereditatem peruenirem. Siquidem empto veneno, pocillatori persuaseram, vt simulatque Ptœodorus potum posceret (bibebat autem prolixius) præsentius in calicem iniiceret, haberetque in promptu, porrecturus

illi

illi. Quod si fecisset, iureiurando confirmabam me illum manumissurum. Ze. Quid igitur accidit? nam inopinatum quiddam narraturus mihi videris. Cal. Vbi iã loti venissemus, puer, duob. paratis poculis, altero, Ptœodoro, cui venenũ erat additum, altero mihi: nescio quomodo errans, mihi venenum, Ptœodoro porrexit innoxium. Mox ille quidem bibit: at ego protinus humi porrectum stratus sum, suppositittium videlicet illius loco funus. Quid hoc rides Zenophanta? Atqui nõ conuenit amici malis illudere. Ze. Rideo profecto: nam eleganter ac lepide tibi hæc res euenit. Porro senex ille, quid interim? Cal. Primum ad casum subitum atque inexpectatum sane conturbatus est: deinde simulatq; intellexit id quod acciderat, puta pocillatoris errore factum, risit & ipse. Ze. Recte sane. tametsi non oportuit ad compendium illud diuertere. siquidem venisset tibi populari vulgataq; via, tutius certiusque, etiam si paulo serius.

## In Græco corrige.

*pag. 41. v. 6. λῆς ἢ ὑποσχ. 54. 12. pro τῷ lego τῶν ib. d 21. pro ἐστὶ λυπηρά. malim ἔσται. 56. 16. lege ἐπιεικὲς. 57. 17. lege κᾂν τοῦ.*